



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

VI. Nullus ad vsuras soluendas est cogendus, nisi ad earum teneatur solutionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.CAP. VI. *Idem Vintoniensi episcopo.*

Super eo quod nos consulere voluisti, vtrum clericus sit cogendus vsuras creditori soluere, prudentia tua taliter respondemus, quod cum periculosum sit omnibus Dei fidelibus vsuras recipere, ad earum solutionem nullus Christianus est cogendus, nisi iuramento vel fide eas soluere teneatur: sed potius creditores ab vsurarum exactione, ecclesiastica debent coerceri sententia.

CAP. VII. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Ad nostram noueris audientiam peruenisse, quod cum Petrus de Vrsiton tempore guerra, qua fuit inter carissimum filium nostrum Henricum illustrem regem Anglorum & filios eius, quibusdam hominibus pro tuitione regni Francorum, pecuniam certa summa permutasset, ab eis quasdam possessiones & redditus recepit in pignus; ipsos etiam sibi iuramenti religione adstrinxit, quod ei super possessionibus & redditibus illis, donec sibi mutuam soluerent pecuniam, nullam molestiam vel grauamen inferrent. Licet autem de possessionibus illis & redditibus praefatus Petrus nondum sortem suam, sicut asserit, deductis expensis, receperit: quia tamen tu frater archiepiscope propter hoc eum vinculo excommunicationis adstrinxisti, exinde cogimur literas nostras vobis destinare, praesertim cum ipse, sicut asserit, sorte velit esse contentus. Inde est quod fraternitati tuae consulenti, &c. quatenus percepta a praefato P. sufficienti cautione, quod exinde mandato vestro debeat parere, ipsum contradictione & appellatione cessante, a sententia qua tenetur, auctoritate nostra penitus absolvas: & deinde debitores, qui sibi praedictas possessiones & redditus contra iuramentum suum subtraxisse dicuntur, si ita est, ecclesiastica censura compellas, vt possessiones illas & redditus eidem Petro dicto appellatione cessante restituant: nec sibi de cetero contra iuramentum molestias inferant, donec ei pecunia soluatur. Quia non est tutum cuilibet, sed periculosum potius, religionem infringere iuramenti. Cum autem praedicto P. pecuniam suam, sicut iurauerunt, persoluerint, vos ipsum ad restituendum quidquid eum nouis deductis expensis vltra sortem rece-

Gggg iij